

ordinatum, sub pena pro quaque vice de bisanciis de Rodo XV et perdat dictas carnes¹⁾).

Item, quod nullus piscator nec aliqua alia persona vendat pisces in aliquo loco nisi infra piscariam Rodi, videlicet ultra medium rotulum²⁾, sub pena pro quaque vice de bisanciis de Rodo V et perdendi pisces.

Item, quod nulla persona possit vendere pisces nisi illi, qui ipsos pisces apud Rodum seu apud portum Rodi de mari apportabunt vel ipsos capient, sub pena pro quaque vice de bisanciis de Rodo XXV.

Item, quod nullus tabernarius vendat vinum nisi ad mensuram bullatam bulle hospitalis predicti, sub pena pro quaque vice de bisanciis de Rodo V et bulletur pro denariis II.

Item, quod nullus panecterus seu fornarius vendat panem nisi de pondere ordinato per castellanum Rodi, quod est vel pro tempore erit, sub pena pro quaque vice de bisanciis de Rodo V et perdat panem.

Item, quod nullus molendinarius recipiat bladum³⁾ nec restituat farinam ultra medium modium nisi ad pondus, sub etc. V et quia curia non possit dictam penam exigere, nisi fuerit accusatus per dominum ipsius bladi.

Item, quod nullus molendinarius accipiat de modio gravi ad molendum ultra denarios VIII.

Item, quod si aliquis molendinarius pro eius culpa devastabit granum, quod ipsum granum emendare debeat.

Item, quod nullus criator, coraterius et sensarius⁴⁾ in se retineat aliquam rem subastatam sub etc. XXV.

Item, quod nullus regatterius⁵⁾ emat aliquam rem in foro seu mercato ante horam tercię sub etc. V.

Item, quod si aliquis evaginaverit ensem seu cultellum contra aliquem, cadat ad penam de bisanciis de Rodo XXV.

Item, quod si aliquis cum ense vel cultello evaginato percusserit vel vulneraverit aliquem seu aliquam de die in capite, facie et manu, cadat ad penam de bisanciis de Rodo CC, et si in aliis partibus corporis de bisanciis C; et ab uno vulnere ultra sit ad misericordiam domini.

Item, quod si aliquis vulneraverit de nocte aliquem seu aliquam cum ense evaginato vel cultello cadat ad penam videlicet de capite, facie et manu de bisanciis de Rodo CCCC; et de aliis locis corporis de bisanciis CC.

1) Marginal von gleichzeitiger Hand: 'Quere infra capitulum prohibitorium, ne carnes infentur, quod hic ultimo de macellatoribus ponendum est ad hoc signum ††. Vgl. S. 268. 2) rotulus = mensurae species, 32 unciarum. Du Cange. 3) bladum = blé. Du Cange. 4) criator Ausrufer; coraterius (courtier) und sensarius etwa gleichbedeutend für Makler. 5) regatterius, wohl gleich regratarius = Aufkäufer, noch heute im Englischen regrater.